THESES SELECTAE

EX

PHILOSOPHIA HISTORICO CRITICA

QUAS

Suscipit Propugnandas

D. IOSEPH DE ACTIS

IN COLLEGIO LUPIENSI

SOCIETATIS IESU

Anno MDCCCXLIV

Facta cuilibet post tertium arguendi facultate

BARII
Apud Fratres Cannone.

THESES
EX
PHILOSOPHIA HISTORICO-CRITICA

I.

Philosophiam historico-criticam a Graecis auspicantes Ionicam scholam a Thalete institutam in primis a veritate descivisse affirmamus, eo quod unice sensibilitatem in naturae studio adhibuerit simplicique tantum factorum observationi attenderit. Quare non solum Anaximander, et Anaximenes uno rerum principio constituto, multiplicibus erroribus, et praecipue pantheismo proluserunt; sed ipse Thales et Anaxagoras intelligentiam primam ut rerum formam motumque et vitam assignantes, a dualismo, et a falsa generationis notione excusari non possunt.

II.

Huc revocamus Leucippum, et Democritum, quippe qui Ionicorum vestigia sequuti esse videntur. Quae illi ex hypothesi de mundo atomis constante improductis absurda derivarunt; ipsam nempe humanam animam ex atomis conflari, ejusque idearum originem a corporibus quae minutissimas sui partes veluti idola in organa sensuum emitterent repeti posse, vehementer impugnamus.

III.

Pithagoras Italicae scholae auctor, licet benemeritus de Philosophia fuerit quod iam tunc agnovit unam experientiam in veritatum investigatione non sufficere; attamen ab idealismi nota liberari non potest, quin etiam et a pantheismo cui originem dedit, monadem quamdam absolutam omniaque comprehendentem effingens.

IV.

Cetera quae ab eodem admittuntur, cuiusmodi sunt effectio rerum ex emanatione a Deo affluente; materia ante sui evolutionem Deo indistincta et confusa, producta vero malorum omnium causa; transmigratio animarum, earumque in monadem transformatio; et peculiaris distinctaque se-

des intelligentiae et voluntati assignata, absurdis scatent.

V.

Pithagoricas opiniones ex Eliatica schola metaphysici Xenophanes, Parmenides, et Zeno amplexi ac tandem in idealismum prolapsi, omnia praeter aeternam substantiam phoenomenica esse voluerunt. Contra hanc veterem opinionem quam Jordanus Bruno Nolanus, Iudaeus Spinoza, et Germanus Schelling in identitatis absolutæ, et pantheismi systematibus iterum produxerunt, mundi existentiam neque ab idea entis infiniti neque ullo modo a priori demonstrari posse statuimus.

VI.

Sed Eliatici physici, quorum princeps facile Leucippus habetur, Ionicis doctrinis addicti in oppositos impegere scopulos, iis neglectis quae cum materiam praetergrediantur simplici empirismo non deteguntur. Inde Scepticismo aditus patuit, ac demum Empedocles, et praecipue Heraclitus unicam philosophiae basim in universali ratione defixerunt; quem errorem non nihil immutatum recentissime effutiit de Lamenais.

VII.

Scepticismus apud Graeciae sophistas, praeser-

tim Gorgiam et Protagoram, invaluit; sed nullus post Socratis aetatem ardentius illum fovit, quam Pyrrho, et Sextus Empiricus. Scepticorum omnium artes, et sophismata refellimus, eorumque audaciam, qua rationem, conscientiam, ideas, rerum status, criterium veritatis, caeteraque ut inutilia veritatis adipiscendae argumenta, iactitant, omnino retundimus.

VIII.

Socraticam doctrinam divinus Plato excoluit, sed ipsius opinionem de ideis subsistentibus, ex quarum contemplatione tantum scientiae certo et infallibiliter derivari debeant, falsitate turpari existimamus. Eius sententia exposita, propugnamus naturam intellectus humani eam esse, ut necessitatem in rebus absolutam aut hypotheticam, prout essentialia vel contingentia diversimode ei obiiciuntur, sive in sensationibus et eorum ministerio, sive in iudiciis immediatis et mediatis, recondat, et manifestet.

IX.

Sed non minus a veritate desciscunt, sive quae de anima vivificante, et regente mundum asseruit, quod utcumque sumatur monadem pithagoricam redolet, aut dualismum sibi non cohaerentem constituit: sive quae animi humani cum corpore coniun-

ctionem attinent, quam in eius systemate haud quaquam physicam esse comperimus; quod rationi et experientiae non parum adversatur.

X.

Singularem eius opinionem tres animas in homine constituentem, quae ideis notionibus et sensationibus in quas humanas cognitiones distinxerat, apte responderent, reiicimus; unamque humanam animam huiusmodi omnia munia exercentem multiplici argumentorum genere admittendam esse confirmamus.

XI.

Licet Aristoteles admisisset in animo ideas, quae ab una sensilium facultatum evolutione explicari non possent, ut tamen originem earum exhiberet, Platonicas formas non est sectatus, sed in rebus ipsis obiectivam, primamque earumdem causam constituit; qui certe processus humanae cognitioni apprime convenire videtur.

XII.

Longe tamen ille a vero discessit, mundo, ut modo patens est, dispositione et ordine donato aeternitatem tribuens; id enim cum temporis motusque legibus, et rerum successioni obnoxiarum

productione nullo modo componi potest. Inde factum est etiam ut sibi non omnino cohaereret, cum de humani animi immortalitate dissereret, quam etsi argumenta aliunde petita eum admisisse haud dubie ostendant, ambagibus tamen, ut sibi constaret, ipsam involvisse opinamur.

XIII.

Epicurus Democriti potissimum placitis delectatus cum insipienter constituisset cognitiones quotquot existunt ad sensationes reduci, superstruxit inde systema teterrimum, ex quo inter alia, atomistica cosmologia in qua casus dominatur; humanus animus ex subtiliore constans materia; Diique nulla providentiae cura suffulti profluxerunt. His quidem basibus atheismus totus continetur.

XIV.

Stoicorum princeps Zeno naturam humanumque animum quod attinet vix ab Epicuro abludens, perabsurda coniunctione in Ethicis Platonicam gravitatem imitatus est. Fatum ineluctabile ab eo admissum, quo voluntas etiam humana perenni necessitate urgeretur, omnem profecto virtutis ideam perimebat quam ostentare cum suis conabatur. Nullum nos fatum admittimus, sed infallibilem ordinem a Deo rebus praestitutum prout naturis

quibusque libere aut necessario operantibus conveniebat.

XV.

Alexandrini inter quos Porphyrius, Jamblicus, Jerocles, Proclus, et Plotinus excelluerunt, partim Orientalium, partim Platonis opiniones sequuti sunt. Ut reliqua omittamus, creationis necessitatem ab illis admissam refellimus, et pantheismi characteres in eorum systemate detegimus.

XVI.

Philosophia quae medii aevi audit etsi Aristotelicam, aut Platonicam philosophandi methodum adhibuisset, absurdis tamen praecendentium philosophorum placitis reiectis, certitudinem in pluribus, potiorem firmitatem in aliis rei scientiarum publicae vindicavit. Quare calumniam qua non nulli adverso animo eam impetiverunt, veluti continuisset veterum sententias, praesertim quod Deum naturam, religionem, officiaque hominum spectat, omnino propulsamus.

XVII.

Cum non vacet sectas quae aliqua fama innotuerunt ad Baconem usque singillatim criticis animadversionibus recensere, utpote quae praecedentium

systemati alicui plus minus adhaeserunt, iis si lubet, coram recensitis; Campanellae tantum opinionem iamdiu ab Averroë defensam, posse aliquid esse philosophice verum et theologice falsum, ut rationi ipsi maximopere adversantem nolumus inoffensam transmittere.

XVIII.

Baco vim sensus communis laedit idola tribus, ut vocat, inducens; veramque philosophandi methodum mutilat, dum reiecto syllogismo, inductionem unice commendat. Quod vero praecepta ad inductionem pertinentia ex professo tradidit, benemeriti de philosophia viri nomen, et laudes merito assecutus est.

XIX.

Hinc ad legitimam philosophandi methodum quod attinet, triplici via mentem in veritatis assecutionem inniti posse existimamus; intuitione, quam in intellectualem, psychologicam, et sensibilem dispescimus, inductione, et deductione: haec tamen, ut rite adhibeantur, legum quarumdam observatione obstringuntur, quarum praecipuas assignabimus, omissa deductione, cuius regulas edocet Logica.

XX.

Absurdis caeteris omissis, quibus scatent Hobbesii opiniones, unum illud quo cognitiones omnes ita ad mathematicas formas reduci voluit, ut quidquid per illas exprimi non possit, utpote in sensationibus minime contentum, aut inter realitates non adcensendum, aut saltem veluti impervium intellectui humano habendum sit, vehementer impugnamus.

XXI.

Longe quidem temperantior fuit Gassendus in Baconianae methodi usu: improbandus tamen est quod omnem idearum originem ex sensationibus, ac comparatione mentis, cuius adminiculo ex factis singularibus ad ideas generales deveniamus, repetat; id enim veritati opponitur, systemati ipsi non cohaeret, et generales ideas cum collectivis confundit.

XXII.

Capitalis Lockii error duabus in rebus positus est, quae in caeteras illius fere omnes opiniones influunt, easque deturpant. Prima quod auspicatur ab origine idearum investiganda, autequam quae ideae nobis insint comperisset: altera quod iisdem efformandis ideis a simplicioribus, et synthesi quadam ad complexas humanam mentem devenire existimavit.

XXIII.

Universalem methodicam dubitationem quam Cartesius adhibet, et segregationem a ceterorum philosophorum opinionibus iure reprehendunt recentiores sapientes. Insuper criterium veritatis ab ipso statutum » quidquid continetur in idea clara et distincta obiecti, affirmari de ipso debet » ad realem ordinem protendi nequit, nisi antea ipsiusmet obiecti, quod cogitatur, constituta sit realitas.

XXIV.

Leibnitzii sententia, qua intellectuales ideas a sensibus provenire non posse constituit, sed esse innatas, non quidem ut actus, sed ut germina, et *virtualitates*, si id innuat activitatem quamdam menti ingenitam, quae ideas non actu, sed potestate tantum possideat, et dispositione veluti naturali, quae deinceps ut in actum prodeat sensationem instar conditionis exquirat, spernenda non est.

XXV.

Sed quamquam metaphysicus ille eximius exhibeat innumera in quibus ordinem rerum, auctorisque sapientiam admiremur, non tamen omnia eius placita fas est adprobare, maxime cum latam idealismo viam aperuerit quadruplici ex capite.

1. Siquidem omnes ideas, ne sensilibus quidem exceptis, ab evolutione cuiusdam vis internae repetendas voluit.

2. Harmoniae praestabilitae systemate realem unionem animae cum corpore ademit.

3. Extensionem phoenomenicam tantum fecit, omnemque realitatem spatii, et temporis dempsit.

4. In fatalismum etsi invitus prolapsus; illoque effato » praesens genitum ex praeterito gravidum est futuri » non parum abusus est.

XXVI.

In distribuendis, ordinandisque Leibnitzianis theoriis multam operam contulit Wolfius, delectu etiam habito ex Cartesii opinionibus. Verum in hoc illum deceptum fuisse deprehendimus, quod geometricam methodum universae philosophiae aptandam utile putavit; scientia enim quaevis sicut propria constat materia sic peculiarem sibi methodum exquirit.

XXVII.

Quamvis sensibilitas confusa quadam ratione modificationes referat, quae deinde per ideas judiciaque distincta determinantur; haud tamen inferre licet nullum certum obiectum illi respondere quod aliquo modo percipiatur. Quare injuria Ma-

lebranchius ideis manifestari obiectum exterius positum, sensationibus vero simplicem tantum animi modificationem respondere existimavit.

XXVIII.

Hinc non immerito ei succensent philosophi quod ad idealismum propenderit quia corporum existentiam naturali certitudine viduavit; quam si deinceps per revelationem constituere conetur, in circulum vitiosum incurrat necesse est.

XXIX.

Insuper cum iuxta ipsum animus vi idearum quae cum divina essentia confunduntur subsistat, itemque extensio quam intelligibilem nuncupat ad eamdem divinam naturam pertineat; ex his inde sequitur aut animum intuendo divinam essentiam ideas habere, aut eum ab ipsa Dei essentia non distingui. Absurda isthaec cum principiis a quibus derivant impugnamus.

XXX.

Cum totum systema materialis pantheismi Spinozae his innitatur praecipue: quod dari nequeat substantia quae alias substantias gignat; et quod substantia sit ens a se, et cuius cognitio alterius

cognitionem non includat : utrumque refellendum assumimus.

XXXI.

Condillachius originem et processum idearum mentis omnino ignorat, sensibilitate veluti unico cognitionum omnium elemento constituto; inutile suppeditat medium deveniendi in externarum rerum notitiam, quodque non observatione sed hypothesi nititur; denique essentiale discrimen humanam inter et belluinam animam penitus adimit.

XXXII.

Kant relationem omnem inter speculationes et externas realitates suo de ratione theoretica tractatu funditus subvertit et abrumpit; neque ab idearum subiectivarum ordine subsilire potest in critica de ratione pratica ad obiectivum aliquod reale admittendum, nisi sibi maximopere non cohaereat.

XXXIII.

Quam ergo sententiam ille professus est, ordinem quem rebus attribuimus nihil esse nisi perceptionum nostrarum ordinem a quibusdam formis a priori intellectum constituentibus determinatum,

ut omnino falsam, et ad scepticismum recta perducentem oppugnamus.

XXXIV.

Insuper cum admittat (Kant), notiones omnes *rationis purae* obiectivam realitatem sibi adsciscere non posse, eo quod in mundi sensibilis regione non contineantur, easque per *impressiones* aut *sensationes* minime experiamur; licet suo transcendentali systemate adversari sensismo omnimode videatur, ab hoc tamen, si penitus *criticae* ipsius placita deductionesque perpendantur, eum non omnino procul esse autumamus.

XXXV.

Effrenem idealismi licentiam temperavit Reid doctrina de communi sensu proposita. Haec tamen ipsa in non leves offendit errores: siquidem de necessariis et contigentibus iudicia, itemque moralia axiomata ita sensui comuni attribuit, ut mentem, independenter ab ulla obiectiva ratione a qua ad assentiendum illis moveatur, in eadem asserat ineluctabiliter inclinari.